



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ**

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium  
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

**Puente, Luis de la**

**Pragæ, 1672**

Caput 8. De Mysterio Circumcisionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38580**

## CAPVT VIII.

## De Myſterio Circumciſionis.

**D**e Circumciſionis etiam eſt in ſpiritu ducta ad ſtabulum Bethlehemiticum, ut videret modum, quo fui peractum id myſterium, cum quibusdam notabilibus circumſtantijs, quæ abundè oſtenderent ipſo modo, quo illud manifeſtabant, DEUM eſſe huius revelationis authorem. Non vidit, an Circumciſio fuerit celebrata in ſtabulo Bethlehemitico, ſed ſolum, quod ſit peracta, ipſius opinione, in quadam domo. Certum autem eſt, celebratam fuiſſe intrâ domum, in qua Dominus natus eſt, ut communiter ajunt Doctores; & forte eſt peracta in alia parte domûs, quàm ſtabulo.

## §. I.

**P**oſtquam advenſet hoc Feſtum, anno 1597. ſummo manè expergefacta, inquit, reperi me in ſpiritu in ſtabulo Bethlehemitico coram ſanctiſſima Virgine, tenente ſuum pretioſum Filium in brachijs, quem lætâbat & contemplabatur eum magna afflictione tuæ animæ; conſiderando acerbiffimos dolores, quos ille benediſſimus Populus brevi erat perpeſſurus, pro noſtris peccatis, incipiens jam inde à die octavo explere officium Redemptoris, & profundere modicum pretioſi ſui ſanguinis, in pignus & ſignum illius copioſi; quem amore noſtri erat profuſurus. Vidi quoque ex Matris oculis manantes lacrymas, inſtar pretioſarum margaritarum, quæ cadebant ſupra ſanctum Parvulum: obambulabat ibi Sanctus Joſephus, diſponendo ea, quæ erant facienda pro Circumciſione. Iſta omnia hinc mihi quidem cor præ dolore dilaniabant, inde verò me rubore ſuffundebant & pudefaciebant, expendentem gratias, quas mihi Dominus præſtabat, ita ut, ſi Dominus permiſiſſet, egreſſa fuiſſem ex ſtabulo: habebam enim ijs diebus in mea anima co-

gnitionem mei ipſius profundiffimâ, cum qua eram immerſa in abyſſum mearum miſeriarum, neque mihi ſupperebant vires ad emergendum ex illa, vel comparandum coram Domino. Quocirca me ſubdixi, & quia habui caput vehementer fatigatum, & volui modicum dormire. Cum autem quaſi eſſem ſopita, audivi vagientem ſanctiſſimum Infantem JESUM, ideoque fui ſubito expergefacta, & vidi illum in brachijs ſuæ ſanctiſſimæ Matris, jam enim fuerat ceſſatum à vulneranda ejus carne. Plorabat autem uſque ad eò, ut potuiſſet rumpere cor audientium, tremens, contrahensque ſe totum præ dolore, omnia agens, quæ ageret verus Infans, qualis erat. Sanctiſſima Virgo illum abſterſit, & collegit admodum dolenter eas pretioſas guttas ſanguinis, inducuntque induſiolo, celeriter involvit, & porrexit illi ubera, ut ipſum pacaret: ſed erat tantus dolor, què patiebatur ſanctus Infans, ut vix vellet conticeſcere, vel lac ſugere. Videns autem ego oculis animæ DEUM Infantem parvum, eo modo vulneratum, propter noſtra peccata ſentem, eram conſternata, & ſtupebam ralem amorem, bonitatem, ac ſapientiam, qualis in eo relucebat; aliunde verò fui repleta magno dolore, & ſum illi compaſſa, quòd ipſum viderem plorantem, ac patientem.

## §. II.

**A**lio die Circumciſionis, auxit Dominus gratias: quia in mea recollectione, vidi coram me ſanctiſſimam Virginem, quæ geſtabat in ſuis brachijs ſuum pretioſum Filium denudatum, & ſpecioſiſſimû, præditum vel imaginabili pulchritudine, qui in ſuo ſacro collo portabat ſplendiſſimum torquem ex auro, & pretioſis lapidibus, mirè coruſcantibus, ac tam magnum, ut illi protenderetur ad pectus & dorſum, unde mirum in modum exornabatur. Stupenti



pentj mihi, quod viderem benedictissimū Infantem taliter ornatum, neque scirem, quid significaret ille torques, dixit Dominus: Hæc sunt cimelia, & hæc divitiæ, quas mihi Pater Aternus dedit, pro meis meritis, quæ ut homo habui, & specialiter nunc pro effusione modici illius mei sanguinis, quem die Circumcisionis profudi, ut ipsi obedirem, & salvarem homines. Postridie mane, in principio meæ orationis conspexi læceratissimam Virginem, & pretiosum ipsius Filium in ejusdem brachijs, ornatum torque, quem videram pridie. Sed ego propter profundam cognitionem mei ipsius magis eram immersa abyssso meæ vilitatis, tremens præ magna verecundia & confusione, quod me viderem corâ DEO, ac tales ab illo iulciperem gratias. Advertens me hoc modo constitutam Clemētissimā Virgo, & ostendens se dolere meas vices, dixit mihi: Noli te modo taliter gerere, aspice. Et ostendebat mihi suum pretiosum puellum formosum, ac divitem suis maximis ac Divinis meritis. Intuebar illum, atque mea anima capiebat solatium ex ejus aspectu: sed non poteram egredi ex lacuna illa, cui eram immersa, & cum ista afflictione dixi sanctissimæ Virgini: Non possum, Domina, hinc emergere, neq; habeo vires ad id faciendum. Regina cœli mihi iterum idem dixit, addiditque: Nisi facias, abibo, ac deferam te: quo dicto, subduxit se modicum ex oculis meæ animæ. Ego illam amore DEI rogavi, ut mihi ignosceret, neque me propterea dereliqueret, proponendo emendationem cum Divina gratia. Ostendit se mihi denuò Domina nostra, & positâ manu ad torquem ac pectus sui Filij, mihi dixit: Bono animo esto, quia etiam tu es particeps meritorum hujus sanctissimi Infantis, & illa supplebunt tuos defectus: quæ verba magno me solatio affecerunt.

*Alio die Circumcisionis illam duxit quidam Angelus in spiritu, & vidit hoc mysterium Circumcisionis, ac Sacerdotem, qui circumcidit sanctissimum Infantem, representatis ipsi unâ ys, qua acciderunt, quando re ipsa fuit peractum.*

(e)†(20)

Z 3

### §. III.

*Alio denique tali die illi Parvulus JESUS præstitit extraordinariam gratiã:*  
Quia cum vacarem orationi, inquit, videbatur mihi in momento apertum esse cor per medium, quod considerans cum inusitato stupore, intrâ illud & supra aureas litteras, quas ibi Dominus inscripserat, videlicet: *Hic hospitatur JESUS*, vidi Christum Dominum, DEUM ac Hominem: talem enim ipsum conspexi, & cognovi in specie Infantis parvuli jacentis, ac dormientis. Quo viso admirabunda dicebat mea anima suo DEO: Quid est hoc, mi DEUS? quid facis? quæ mysteria sunt ista? quid mihi ostendis ex magna misericordia? ita præ teneritudine colliquecebam. Dum autem adverterem Dominum dormientem, & quia mihi videbatur non expergefieri, novis incitata affectibus dicebam: Dormisne mi Domine? dormis? adhuc somno teneris? expergiscere Dilecte mi, expergiscere. Ecce, Domine, hostis est in campo, ut cruentum inferat bellum animabus, inter quas una est mea: expergiscere Domine, expergiscere, nè dormias. Ad has voces evigilavit Dominus, & amanter me alloquens, dixit mihi: Anima mea, nè timeas, dum me tecum habes, & sum in tuo corde. Eja anima, bono esto animo, quia etiamsi tibi videar dormire, ut sum homo, semper vigilo, ut sum DEUS, noli metuere. Postquam hæc dixisset, fuit cor clausum, quod erat instar Paradisi, & instar Eucharisticæ Hierothecæ, exornatæ gemmis. Stupebat id mea anima, cogitans de eo, quod viderat, & ecce subito vidi secundo apertum cor meum ad eum modum, quo prius, atque in illius medio Christum Dominum, DEUM ac Hominem verum, non parvum Infantem, neque dormientem, sicut antecederet, sed virum magnum & vigilantem, qualis erat dum versaretur in mundo, & hoc me multo majori stupore affecit, quam quod videram prius: quia videbam Dominum non jacentem, neque parvum, sed stantē, ac magnum, quemadmodum dixi, & quia taliter occupabat quantus quantus est, illum



lum angustum locum mei cordis, quin ibidem esset contractus vel constrictus, sed gloriosus & retinens suam staturam. Eram quasi afflicta & turbata videndo meum DEUM ac Dominum in ea specie intrā meum cor, & me ipsam, ac si illum nunquam itā vidissem, unāque eram confusissima, & verecundabar, eò quòd intuerer meum DEUM ac Dominum adeò mihi vicinum, atque itā intrā me existentem. Videns Divina Majestas, quod in mea anima fiebat, dixit illi gravi quodam, ac Divino modo: Quid miraris, Anima? quid itā times, ac stupes? Ignorāsne meam magnitudinem, meam sapientiam, ac potentiam, quā ex mea bonitate operor magna

mysteria pro utilitate animarum, & me non posse contrahi vel constringi à loco parvo vel arcto, sed nec dilatari à magno & spatioso; siquidem ego sum Dominus absolutus omnium rerum, & universa dispono pro meo beneplacito, ac libitu, ut me nihil possit adstringere ad suas leges? Quocirca Anima, quiesce in me, neque turbetur cor tuum in meis mysterijs & operibus, quia omnia facio pro tuo majore bono & commodo, ac mea gloria. Quo dicto me replevit summo solatio, & cor meum denuò mysticè fuit clausum. Ego mirata sum ejusmodi opera Domini, & gratias illi egi pro omnibus. Ipse sit benedictus in æternum. Amen.

## CAPUT IX.

### De Adoratione Regum.



*Admirabiliorem gratiam assequuta est à DEO die Epiphania, quo præcipuè celebrabatur adoratio Regum. Sed exordiemur à minoribus.*

#### §. I.

**H**Oc die, *inquit*, ante diluculum matutinum, me reperi in stabulo Bethlehemitico, sicut consueveram, cum sanctissima Virgine, & pretioso ipsius Filio, nec non Sancto Josepho, qui compositā modicā illā supellectile, quam habebant, exciverat ignem, & accenderat pro illuminando stabulo quandam quasi assulam, seu particulam tædæ, quæ suaviter lucebat, & sufficienter ad illustrandum eum locum. Virgo tenebat Infantem in suis brachijs, indurum solo indusiolo nitidissimo ac delicatissimo, & tectum velo, quo cooperiebatur corpusculum. Animadverti hoc modo à Virgine cum Sponso expectari Reges, quos jam à DEO intellexerant venturos, quamvis de hoc non loquerentur, sed ambo observarent sanctum silentium. Interea audivimus venientes ad

portam illius Atrij homines quasi ex itinere (dico autem, audivimus, quia etiam ego, quæ ibi in spiritu aderam, illos audivi) qui accedentes ad portam, inceperunt loqui, & conferre aliquantum clamorē: quavis autem non perciperentur verba, quæ dicebant sancti Reges, intelligebatur tamen, sermonem illis esse de stella, quæ steterat supra illud stabulum, & monstraverat ibi esse Regem ac Dominum, cujus quærendi & adorandi gratiā advenerant. Paulò post aperuerunt portam stabuli, & per illam ingressi iverunt rectā ad sanctissimam Virginem, quæ sedebat, tenens suum pretiosum Filium in brachijs valdè modestè & sanctè, atque animo usque adeò collecto, ut quamvis ingrederentur Reges, ipsam non viderem attollentem oculos ad eos aspiciendos. Venerunt sancti Reges ad sacratissimam Virginem, defixisq; humi genibus adoraverunt sanctissimum Infantem, & Regem ac Dominum nostrum, obtuleruntque illi sua munera. Postea se erexerunt, & profundissimā corporis inclinatione sunt reveriti Beatissimam Virginem, quæ etiam affurrexit, & illos venerata est, inclinando se coram illis. Tum se verterunt ad sanctum Josephum, quem si-

mili